

Deinde reiectis 9. eodem modo ex altero numero multiplicato, locetur residuum in dextra parte crucis. Post hæc, multiplicatis his duobus residuis inter se, & ex producto reiectis 9. statuatur residuum in superiori parte crucis. Postremo ex summa omnium productorum reiectis quoque 9. scribatur residuum in parte crucis inferiore. Necessesse enim est, residuum hoc æquale esse residuo superiori, si erratum in multiplicatione non est. Exempla posita sunt in superioribus multiplicationibus. Nam in primo exemplo, reiectis 9. ex 600394. residuum est 4. Residuum autem huius numeri 8. est 8. quia 9. abijci non possunt. Multiplicatis autem his residuis 4. & 8. inter se, fiunt 32. à quibus si reijciantur 9. ex producto 4803152. In secundo autem exemplo, residuum primi numeri est 1. secundi autem 4. Multiplicatisque inter se his residuis 1. & 4. fiunt 4. in suprema parte crucis locanda, quia 9. abijci non possunt. Reiectis autem 9. ex tota summa, supersunt etiam 4.

Secunda  
probatio  
multiplicationis  
per 7.

Alterum examen fit per reiectionem 7. si nimirum ex iisdem numeris abijciantur 7. ut in additione diximus, ex quibus in superiori examine præcepimus reijcienda esse 9. Exemplum habes in postremis duabus multiplicationibus. Sed duo hæc examina sunt etiam fallacia, propter causas supra adductas.

Tertia  
probatio  
multiplicationis  
per diuisionem.

Tertium examen certissimum est, fitque per diuisionem. Si enim tota summa producta diuidatur per alterutrum numerorum multiplicata-

tiplica-